Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810379-p0001-2

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparabi mihi
Witeb.
p mat. 12. g.
p bind. 4. g.
M. Johan: Leisold.
Ao. 1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Vigesima secunda,

De

ADORATIONE CARNIS CHRISTI RELIGIOSA

Quam

Annuente Θεανθρώπῳ

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Theol. D. & P.P.

In privato Collegio ad disputandum proponit.

M. MICHAEL REICHARDUS
Wittebergensis, Alum. Elect. Sax.

Habebitur ad diem 18. Junij, horis pomeridianis

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ
Ex Officina JOHANNIS *Gormanni,*

Anno clɔ. Iɔ. CXIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810379-p0004-9

CONTINUATIO.

TRia *Idiomata sive dona Majestatica carni Christi ἀλόγῳ communicata habuimus*, Omnipotentiam, Omniscientiam,& Omnipræsentiam. *Requirit ordo, ut de quarto jamnunc agamus, nimirum de* Cultu AdorationisReligioso; *qui est axioma realem majestatis divinæ communicationem necessariò consequens* (a): *& tanquam effectus priorum trium idiomatum* (b). *Cum igitur ardua & magni momenti hæc res sit σοφῶς καὶ σαφῶς agendum, quod ut fiat, ad hanc cynosuram cursum nostrum dirigemus.* I. *Quid complectatur iste Adorationis cultus explicabimus.* II. *Statum controversiæ formabimus.* III. *Orthodoxam sententiam κατασκλασικῶς probabimus.* IV. *Adversariorum ἐπεῤῥοδοξίαν & φλυαρίας ἀνασκευαστικῶς rejiciemus. Et tandem meditationem Practicam subjiciemus.*

(a) Rungius disp. priv. colle. 3. disp. 1. thes. 3.

(b) Gesn. disp. 13. pro l. Concor. c. 1. thes. 3.

Alme DEUS *nostris clemens, allabere ceptis.*

THESIS I.

ADorare *deducit L. Valla ab* ad *&* orare, Orare *autem est* ore precari; *sicut supplicare est plicando caput ad genu aliquid petere. Hoc igitur pacto adoratio nihil est aliud, quàm alterius invocatio & auxilij imploratio.*

CAPUT I.

Cl. Præs. Sob. Phil. part. 2. sect. 1. qu. 12.

II. *Est autem vocabulum adorationis ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, & diversimodè in scri-*

ptura accipitur. 1. Latè, *pro quovis* cultu Politico & externa corporis actione, *reverentiæ causâ etiam creaturis exhibitâ: ita usurpatur. Genes. 19. 11. c. 23. 7. 12. c. 33,3. c. 42, 6. c. 43. 26.* Hinc Hebræis שָׁחָה *sese deprimere, incurvare:* Græcis προσκυνεῖν, *sese instar humilis catelli ad pedes Domini provolvere* (a).

(a) *Flacius in clav.*

II. 2. Strictè; *pro cultu* religioso: *idq; vel* impropriè *pro cultu* corporis externo, *qui fit actu & gestu: in hoc sensu usurpatur Psal. 95, 6. Matth. 2. 11. vel* propriè *pro cultu* animi æterno, *quo intellectus suam indignitatem;* DEI *majestatem agnoscit: voluntas verò sese* DEO *penitùs subjicit, & submittit, suppliciter bona necessaria petendo, & pro acceptis gratias agendo.*

(b) *Bellar. de sancta beatit. l. 1. c. 12.*

IV. *Tot igitur significationes vocabuli Adorationis in sacro codice occurrunt: ac proinde frivola est Pontificiorum,* (b) *cultus divini in* λατρείαν, *quæ sit excellentia divina, &* δουλείαν, *quæ media sit inter divinam & humanam distinctio.*

(c) *August. lib. 10. de civ. Dei c. 1. de ver. religi. c. 55.*

V. *Ipsa enim Scriptura, Patres,* (c) *profani scriptores,* (d) *his vocabulis indistincte utuntur. Latria hominibus tribuitur Deut. 28. 48. Lev. 23, 8.* δουλεία DEO *Rom. 12, 11. c, 16. 18. Act. 20, 19. discrimen verò posterioribus demum seculis inventum & receptum, quod nec ipse Bellarminus diffiteri potest.* (e)

(d) *Suidas L. Vallá in c. 4. Matt. L. Vives in*

VI. *Impia & illa Idololatria in* δουλείαν *propriè dictam*

dictam, & ὑπερδουλείαν; quarum illa tribuatur omnibus sanctis cæteris, ista humanitati Christi & matri ejus, de qua paulò post in ipsa ἀνυπόστατος. com. supr. c.1.l.10. de civ. Dei.

(e) lib. cit.

VII. Synonymum Religiosæ Adorationis est Invocatio. Malè igitur Papicolæ ipsam discretam volunt ab Adoratione in eo, quod illa soli DEo competat; hæc DEO & creaturis sit communis. Scriptura enim ambo hæc pro uno & eodem habet, ut ut alio respectu quædam distinctio inter ea admitti possit. Quod enim Deut. 6, 13. dicitur; Unum Deum tuum adora, id Psal. 50, 15. effertur, Invoca me, quod Psal. 72, 11. Adoraverunt eum omnes reges, enunciatur Rom. 10, 13. qui invocaverit nomen Domini. 14.

VIII. Quo posito cadit & illa Smalzij (a) nimia ἀκρίβεια, quâ statuit adorationem quidem Christi esse præceptam: sed non item invocationem, eam tamen à Christiano homine fieri posse, quia Patris invocationem includat. Nisi fortè per Adorationem tantùm intelligit cultum externum, quod facit Perkinsius Calvinianus. (b)

(a) lib. de divinat. I. C. c. 24.

(b) Tom. 2. tract. de idolol. p. 897.

IX. Quando igitur quæritur, num caro Christi sit adoranda? Ex parte prædicati intelligimus per adorationem cultum divinum, soli DEO debitum invocationem sive petitionem bonorum necessariorum, & gratiarum actionem includentem: non civilem aut externam reverentiam vel Pontificiam ὑπερδουλείαν inter divinam & civilem

vilem mediam; aut Calvinanam aliquam adorationem. quæ sit illi, quæ Deo debetur, quocunq; modo inferior.

CAP. II. X. *Proinde ut status controversiæ recte formetur,* ex parte subjecti *investigandum, quodnam sit genuinum adorationis Christi* Objectum. An sola Deitas λόγϱ cui caro unita? An simul Caro *sive humana Natura* in Unitatem Personæ λόγϱ assumta? *De priori nulla est controversia, quis enim eo absurditatis perveniret, ut* λόγον *assumentem adorabilem esse inficias iret? Atq; hinc est, quod non solùm Orthodoxi, verùm etiam pontificij & Calviniani ad probandam & demonstrandam contra Photinianos Deitatem Christi argumenta ex adorationis cultu deducunt creberrima & solidissima.*

XI. *Posterius in controversiam venit. Statuunt enim Lutherani Humanitatem seu carnem Christicum* λόγῳ *esse adorandam una eademq; adoratione. Adversarij verò partim plane negant, partim aliâ ratione paulò inferiori adorandam contendunt.*

XII. *Ubi tamen præcognoscendum Lutheranos Carnem sive humanam Naturam Christi hîc non intelligere* per se, in se, & secundum se extra Unionem in abstracto *consideratam: sed semper disputare pro ea in* Concreto, quatenus à Filio DEI in Unitatem Personæ assumta est. *Non statuere eam* per se, ex sua natura,

tura, proprietate ſuæ naturæ, naturaliter, *Hutter. in* eſſentialiter, *& πρώτως eſſe adorabilem: verùm controv. ſe-* *duntaxat κατ' ἄλλο δευτέρως*, Perſonaliter *cundâ con-* per & propter Unionem, *ut Cyrillus & Da-* *tra Bellar.* *maſcenus locuti ſunt.* *diſp. 6. th:*

XIII. *Eſt ergo ſtatus controverſiæ iſte.* An Chri- *26.*
ſtus non tantùm ut DEUS, verùm etiam *Sigvvart.*
ut Homo, ſeu ſecundum Humanam Na- *9. Irenic.*
turam in Unione tamen conſideratam, & *Part. lib. 3.*
ſic totus ſecundum utramque Naturam cul- *c. 3. art. 15.*
tu adorationis Religioſo ſit invocandus?

XIV. *Affirmativæ & Orthodoxæ ſententiæ funda-* CAP. III.
menta ponimus iſta: I. Vaticinia, *quæ Chriſtum hominem adorandum prædixerunt non tantùm ab hominibus, ſed & ab angelis*: Pſal. 22, 30. Pſal. 72, 11. Eſai. 45, 23. cap. 49. 7. c. 60, 6. Dan. 7, 14. *Quæ vaticinia ad carnem Chriſti accommodat Apoſtolus* Phil. 2, 16. *Dicit enim nomen iſtud, ut adorent eum omnia ſupera, terreſtria & infera, datum eſſe, & quidem ex gratia, quod vocabulum χαρίζεσθαι oſtendit: eſſe conſequens Paſſionis & Mortis: Chriſtum per id exaltatum eſſe, & præſtantiorem factum angelis: quæ omnia de divina Chriſti natura minime intelligi poſſunt.*

XV. II. Mandata, *quibus Eccleſia ad Chriſtum Dominum ſecundum utramq; naturam adorandum commovetur, & promiſſione exauditionis & auxilij allicitur: à* DEO Pſal. 45, 12. *ab ipſo Chriſto*, Iohan. 14, 13. 14. Iohan. 16, 23. 24. *A Pra-*

 pheris

phetis & Apostolis Psal. 97,7. Actor. 22, 16. Rom. 10,13. Hebr. 4. 15,16.

XVI. III. Exempla piorum, *qui in Novo Testamento cultum adorationis direxerunt ad totum Christum, ut Magi Matth. 2,11. leprosus & centurio Matth. 8,2,5. Luc. 17, 15. 16. 19. Mulier Cananæa Matth. 15. 25. Pater Lunatici Matth. 17,14. Iairus Marc. 5. 23. Cæcus Luc. 18, 37.* Apostolorum, *Matth. 14, 33. cap. 28, 17. &* Martyrum. *Thomæ Iohan. 20, 26. Pauli Rom. 1. 7. 1. Corinth. 1,3. 2. Thessal. 3, 16, 18. & alibi Iohannis Apoc. 1, 5. Stephani. Actor. 7, 59.* Ecclesiæ Triumphantis *& cœlestis militiæ Apoc. 5. 12, 13. imò ipsorum* dæmoniorum, *Marc. 3, 11. cap. 5, 6.*

XVI. Ratione: *quia Christus hunc honorem nunquam repudiavit; quin potiùs acceptavit, & approbavit, auxilioq; implorantibus subvenit: quia in statu Exinanitionis infimo adoratus est, ideò multò magis jam in statu Exaltationis adorabitur: quia secundum utramq; naturam est Redemtor, Mediator, Dominus: quia Christus homo judicium totius orbis celebraturus summam habet majestatem, Ioh. 5. 27. Phil. 2,10. supremam potentiam Matth. 28, 18. quia secundum humanam naturam nobis benedicturus est. Genes. 22. 18. Actor. 3, 26. quia deniq; secundum quam naturam tentatus est, secundum eam opitulabitur Hebr. 2, 18. Quæ omnia evidenter probant, Car-*

nem

nem CHRISTI *simul cum* λόγῳ *una eademque adoratione ac invocatione coli debere.*

XVIII. V. Testimonium antiquitatis. *Hanc enim sententiam prisca Ecclesia semper professa & exosculata est. Ita Concilium Ephesinum sancivit*(a). *Ita Athanasius* (b) *docuit, ita Cyrillus,* (c) *Chrysostomus* (d) *Damascenus* (e) *Augustinus* (f) *& alij citante* D. *Sigvvarto in admon. de Iren. Par. pag. 628, & seq. Gesnero disput. 13. in* F. C. *p.* 335.

XIX. *Confirmatâ nostrâ sententiâ videndum quid adversarij statuant, qui in hac controversia triplices* Pontificij, Calviniani & Photiniani: *cæteros enim extra pomœria Ecclesiæ vagabundos non curamus.*

XX. Scholastici *igitur &* recentiores Papicolæ, *utramq; Naturam in Christo adorandam quidem putant; sed* cultu duplici: *quorum unus dirigitur ad divinitatem &* λατρεία *dicitur: alter ad humanitatem solam & matrem Christi, &* ὑπερδουλεία *indigitatur. Ita enim sentit Bellarminus* (a), *Beda* (b), P. *Lombardus* (c).

XXI. *Verùm absurdissima ex hac opinione sequitur Persona Christi dvulsio. Nam si in isto cultu alius est respectus ad divinitatem ipsius, alius ad humanitatem, geminum datur objectum adorationis: nec amplius una relinquitur persona; sed duæ fiunt, quæ diversos requirunt cultus & diversam fiduciam*

(a) *Can. 8.*
(b) *Dial. 5. 6. 26.*
(c) *Tom. 1. Concil. f. 579.*
(d) *Tom. 4. ad Hebr. homil. 3.*
(e) *lib. 4. c. 3. & l. 3. c. 8. de fid. ortho.*
(f) *Serm. 18 in c. 14. Ioban.*

CAP. IV.

(a) *loc. ante cit.*
(b) *in c. 4. Duc.*
(c) *lib. 3. sent. dist. 9.*

(a) Huber. *fiduciam* (a). *Nam ut unus est Christus, ita una in Antibel- fides, & quia adoratio ex fide oritur, erit una ea-larmin. lib dem. religiosa & Christiana adoratio. Contrâ 2.6-12.p.110. ubi duplex adoratio, ibi duplex fides, ibi duplex persona.*

XXII. *Nec ipsos juvare potest effugium: quòd adoratio* una *quidem sit* numero, *verò* diversa gradu & respectu *ad duas naturas. Adoratio enim non in utraq; natura fundatur, nec utriq; per se tribuit: sed* in sola Deitate fundamentum habet: *humanitati verò tribuitur κατ' ἄλλο propter Unionem Personalem. Cum quo consentit* Thomas (*b*).

(b) *In 3.q. 25. art.2.*

XXIII. *Et quemadmodum propter Personarum Trinitatem Uni divinæ Essentiæ non tribuitur triplex cultus & adoratio, quia fundamentum istius cultus est ipsa Deitas, non Personarum discrimen: Ita in Christo propter naturarum dualitatem, non geminatur adoratio, sed una manet, propter Personæ unitatem, quæ verè est* DEVS, *& in qua Deitas subsistit & humanitas.*

XXIV. *Hanc Iesuiticam vesaniam æmulatur* Martinius *Calvinista. Hinc in defensione Sadeelis contra Menzerum, (à quo tamen & reliquis socijs divortium fecit) hi flosculi reperiuntur:* Honor & reverentia, quæ exhiberi debet Christo, duplex est: alius λογῳ conveniens, alius ipsius carni sive Humanitati

(a) *In Anti-Martin. 86. & seq. 283. & seq.*

Quia humanitas non est Deitas.

tas. Ergo non adoranda illa ut hæc. *Videatur de hac controversia* Menzerus *eruditissimè disputans contra Martinium* (a).

& Tom. VI. disp. 18. p. 356.

XXV. *Vnum contra Iesuitam adhuc meretur admonitionem. Turpiter enim* sibiipsi *contradicit: dum hic carni Christi* λατρείαν *denegat: corpori verò ipsius in Sacramento suo ficto & pane transsubstantiato propter stabiliendam suam de* λατρείαν, *eandem tribuit.* (b) *imò ipsi* Concilio Trident. λατρείαν *Sacramento tribuenti* (c)

(b) *Lib. 4. de Euchar. cap. 29.*

(c) *Sess. 3. can. 5.*

XXVI. Calviniani *post se offerunt: horum itidem, ut omne mendacium* πολυχιδές, *non unus est ordo. Quidam* apertè *agunt & adorationem omnem carni Christi in totum adimunt.* Coryphæum *& hyperastisten primarium agit* L. Danæus. *Hinc Idolatras maledictos Nestorianos pronunciat omnes, qui Christum secundum carnem adorant* etiam in unione personali permanentem (d), *imò adorationem carnis Christi eo planè loco habet, quo invocationem Mariæ & reliquorum sanctorum idololatricam* (a).

(d) *in Apol. cont. Iacob Andr. p. 51.*

(a) *in Apolog. cont. Iac. Andr. pag. 51.*

XXVII. *Rationes blasphemæ suæ opinionis hæc ponit. I. Ex Ier. 17, 5. Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine & ponit carnem brachium suum. Caro Christi est vera caro. E. Maledictus, qui in carnem Christi adorationem dirigit Resp. 1. Quatuor esse terminos in hoc Syllogismo: Major enim loquitur de tali homine, qualem describit Ierem. v. 9. Minor de homine Christi non nudo*

aut

aut fallaci, ſed uni DEUS *eſt, & de quo ſcriptum: Quisquis confidit in te, non confundetur. Rom. 9. v. ult. 2. Committit fallaciam Compoſ. & Diviſ. Omittit enim verba, quæ ex Propheta addenda erant* & corde ſuo relinquit Deum. *Iam qui humanam Naturam in ipſa Perſona* Ἐ λόγ *ſubſiſtentem & conſideratam cultu religioſo proſequitur & adorat, non relinquit* DEum, *cum quo caro eſt una Perſona. 3. Tandem retorquemus in ipſum adverſarium v. 6. ſeq. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & cujus fiducia Dominus. E. benedictus cujus Chriſtus, qua* DEus *& homo eſt fiducia.*

XXIIX. II, *Depromit ex dicto Gal. 4, 8. Qui ſerviunt ijs, qui naturâ non ſunt* Dij, *Idololatræ ſunt. Hoc faciunt, qui carnem Chriſti adorant. E. Reſp. Iterum ſunt quatuor termini. Major loquitur de dijs fictijs & idolis: minor de carne Chriſti θεότη, quam in numerum Idolorum recenſere ſummæ & extremæ eſt blaſphemiæ.*

XXIX. III. *Qui conſervos, & qui ſunt ex fratribus, adorant, ab Angelo reprehenduntur, Apoc. 19. 10. & 22. 8. At Chriſtus eſt conſervus & frater noſter. E. Reſp. Major loquitur de nuda creatura, videlicet angelo: minor de Chriſto, qui non tantum noſter conſervus, verùm etiam Dominus in infimo etiam Exinanitionis ſtatu Luc, 2, 11. Iohan. 13, 13. Phil. 2. v. 6. & ſeq.*

30. IV. So-

XXX. IV. *Solus* DEus *est adorandus. Caro Christi non est* DEUS. *Resp. Consequentia non valet, quia humanitati religiosa adoratio tribuitur non* κατ' αὐτὸ *sed* κατ' ἄλλο & ex donatione: *non quia sit facta* DEus, *sed quia* DEo *est personaliter unita & in* ταυτότητι *Personæ recepta, qua de causa Damascenus ipsam dicit* ὁμόθεον.

XXXI. *V. Qui creaturam invocat in* DEUM *est blasphemus* Deut. 4, 6. 10. Matth. 4, 10. *Caro Christi etiam glorificata & in Unione personæ manens est creatura.* E. R. *Homonimia est in vocabulo Creatura: in Propositione sumitur de absolutâ & nudâ creatura: in assumtione de tali creatura, qua cum ipso creatore una persona facta; imò ipse creator est. Id quod ipsi Danæi contribules Polanus* (a) & *Bucanus confitentur.*

(a) *Syntag. lib. 6, c. 16. p. 278.*

XXXII. *VI. Rom. 9, 5. Paulus explicat cujus naturæ ratione honor Christi sit tribuendus, nempe* quatenus est DEUS supra omnia benedictus.

(b) *in L. C. 28. q. 12.*

Resp. 1. ἀγνοια & ἐλεγχῳ. *Paulus enim ibi ne syllabæ quidem adorationis meminit, verùm incidenter tantùm de persona Christi agit. Deinde nulla est consequentia. Christus* DEUS *est benedictus in secula. Ergo Christus natus ex Patribus secundum carnem non est benedictus.*

XXXII. *VII. Esai, 42, 8. Gloriam meam alteri non dabo. Caro Christi est alter.* E. *Resp. breviter, in Christo non est* ἄλλος ϵ ἄλλος, *verùm* ἄλλο ϵ ἄλλο. *Quando ergo* DEUS *adorationis*

gloriam

gloriam communicat humanæ naturæ per Vnionem Personaliter unitæ non dat illam alteri, sed propriæ suæ humanitati.

XXXIII. VIII. *Nestorij dicit esse errorem Christum qua homo est unà cum Verbo adorare.* Resp. Non *ait Nestorius, humanam Christi Naturam in Persona* & λόγϖ *subsistnentem unâ* λατρείᾳ *cum* λόγῳ *esse adorandam: sed* hominem Christum unà cum λόγῳ tanquam alterum cum altero coadorandum esse. *Cujus erroris Pontificij quidam & Calviniani sine injuriâ insimulari possent.*

XXXIV. *Tandem testimonia Patrum quæ citat, & ad suum sensum detorquere satagit, examinant* Rungius *disp. priv. colleg. 3. disp.* 5. Gesnerus *disp. 13. in* F. C. Sigvvartus *in admonit. contr. Irenic. Parei, qui videndi.*

XXXV. *Hactenus ergo habuimus primum ordinem de grege calvâ, qui Adorationem carni Christi simpliciter denegant. Cui non abs re illi annumerantur, qui Christo externam etiam reverentiam* genuflexionis & apertionis capitis *detrahunt, ut Calvinus* (a) *& multi alij in quotidianâ praxi.*

(a) *in 2. c. ad Phil. 1.*

XXXVI. *Alter ordo lupum pelle ovinâ tegere & simplicioribus fucum facere doctus prætendit: adorationem carni Christi nunquam negatam à suis complicibus. Hinc alij* (a) *eam concedunt Humanitati Christi non* propter realem divinæ majesta-

majestatis communicationem, *sed propter* (a) *Marti-*
Unionis gratiam. *Alij* (b) *cultum adorationis nius in re-*
pertinere ad officium *ajunt, atq; ita totum Chri-* *fut. Mentz*
stum secundum utramq; naturam adorandum p. 87. Or-
putant, Alij (c) *carnem Christi concedunt ado-* *thdox. con-*
randam una adoratione cum Deitate, sed ne re- *sens p. 121.*
liqua ἀξιώματα divinitatis ei communicata esse 122.
affirmare cogantur, adorationem proprieta- (b) *Pezel.*
tem DEI essentialem *negant, quod ut suo contr. Hun*
modo concedi potest, ita si hoc sine, quo adversarij (c) *Polan.*
adserunt, urgeatur, simpliciter non admittimus. l. 6. c. 16.
Alij (d) *denig; decisionem hujus quæstionis ad Trelcat.*
Concilium, *in eo belle cum Pontificijs conspi-* *sen. L. c. 9.*
rantes servandam statuunt. Quos omnes in specie p. 251.
refutare chartæ angustia non patitur. (d) *Stur-*
XXXVII. *Photiniani etiam διχὰ διηρημένοι* *mius* im
sunt Franciscus Davidis *adorationem Christo* vortrab p.
plane & plene denegavit, contradicentibus Blan- *29. & An-*
drata (e) & Socino (f) *contribulibus. Moderni tipappo. p.*
eam Christo homini concedunt, ne Deitatem ipsius 197. Orth.
fateri cogantur: ita tamen ut possit *pius Chri-* *Consens. in*
stum cum Deo Patre adorare; interim ad id faci- *præf.*
endum dum non tenentur: *quin potiùs æquè bo-* (e) *in epist.*
na sit adoratio sive Christus coadoretur sive non. *admin st.*
XXXIIX. *Deinde statuunt scripturam ad Christi* Tra nsylv.
adorationem commonefacere, *interim eam* (f) *in epi-*
nunquam esse mandatam, *nec unquam man-* *stola ad So-*
dari potuisse, quasi verò commonitiones scripturæ cin.
Christi & Apostolorum, quas concedit Smalcius

(a) *non*

(a) *de divin. I. C. 5. c. 24.*

(a) *non sint edicta prætoria omnibus verè Christianis. Quæ commenta cum falsa hypothesi nitantur, quasi aliquid adorari religiosè posset quòd non sit Deus: cumq; propter evertendam Christi Deitatem sint efficta ἐπινοηθώσῃ indigna judicamus & meritò ob pagellas impletas ad cursum disputationis remittimus.*

CAP. V.

XXXIX. *Colophonis loco dulcissimam nobis consolationem afferre potest hæc Διάσκεψις in omnibus calamitatibus. Si pateris pia anima, accede firmâ fiduciâ non ad judicem severum, sed fratrem sincerum, opemq; implora: non feres repulsam, caro est de carne nostra, unus ex fratribus nostris. Cum Iosephum adorassent fratres, incalescebant miserationes ejus erga fratrem, & quærebat flere. Multò magis Christus frater noster amantissimus nobis supplicibus viscera misericordiæ aperiet, auxilioq; subveniet. Frater fratri officium nullum denegare nequit: & cœlestis noster frater preces nostras sinet exauditas? Ipsi sit laus & gloria in secula seculorum,* AMEN.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810379-p0019-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810379-p0020-7

OGIAS SACRÆ

Vigesima secunda,

De

ATIONE

S CHRISTI

LIGIOSA

Quam

ente Θεανθρώπῳ

PRÆSIDIO

ASARIS MEISNERI

heol. D. & P. P.

legio ad disputandam

proponit.

L REICHARDUS

nsis, Alum. Elect. Sax.

diem 18. Junij, horis

meridianis

ditorio minori.

TEBERGÆ

HANNIS Gormanni,

cIↃ. IↃ. CXIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810379-p0021-3